



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Philosophici Loci Praecipui sunt septem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36094**

calamitatibus, quæ non sunt extricabiles humano consilio, sint testi-  
monia præsentia Dei in Ecclesia, vt precatur Moyses 14. Numero-  
rum: Ne deleas nos, vt sciant Aegypti, quod sis in hoc populo. Et 1.  
Reg. 17. Vt sciat omnis terra, quod sit Deus in Israël. Et Iesaiæ 37.  
Libera nos, vt sciant omnia regna terræ, quod in Israël sit Deus.

Hæc doctrina de Causis, propter quas Ecclesia cruci subie-  
cta est, semper in conspectu sit, ne offensi ærumnis Ecclesiæ, existime-  
mus, cœtum hunc deformem à Deo negligi. Ex his causis, par-  
tim impulsivis, partim finalibus, sumitur & hæc distinctio de generi-  
bus calamitatum. Genera sunt quatuor. I. *τιμωρίας*, vt exili-  
um Daudis. II. *δοκιμασίας*, vt carcer Ioseph. III. *μαρτύ-  
ριος*, vt interfectio Baptistæ, Iesaiæ, Ieremiæ, Pauli & aliorum.  
IIII. *λόγων*, folius Christi obœdientia est.

LOCI CONSOLATIONVM.

Utilissimum est scire fontes doctrinæ de causis calamitatum, &  
de locis consolationū, & conferre humanas & diuinas consolationes,  
PHILOSOPHICI LOCI PRÆ-  
cipui sunt septem.

- I. Primus, Necessitas, ut, quæ mutari non possunt, minore dolore  
feruntur, cum cogitatio in mente hædit cor ad moderationes, sicut  
dicitur: Bonus animus in re mala dimidium est mali. II. Secun-  
dus locus est dignitas virtutis. Non est enim iniuste faciendum pro-  
pter dolorem, vt Caro discedit à iusticia, cum fractus dolore sibi con-  
sciscit mortem. Cicero discedit à modestia, nimium lamentans pro-  
pter exilium, cum tranquillis animis tulerint exilia multi præstan-  
tes viri, Aristides, Camillus, Metellus, & alij. Et huc pertinet di-  
cta: Tamen per ipsas lucet ærumnas decus: Item Aristoteles inquit:  
*ἡ δυστυχία λάμπει τὸ καλόν.* III. Tertius locus est bona con-  
scientia, iuxta dictum: Est aliquid magnis crimen abesse malis. Est  
enim duplex dolor, Externus cruciatus, & vulnus cordis. IIII.  
Quartus, Exempla. Quia cum similia alijs multis & melioribus acci-  
dere cernimus, videtur inæqualitas & superbia esse, nihil velle com-  
munitum ærumnarum ferre. *Κοινὸν γὰρ πάντων ἐν τῷ πᾶσι πᾶσι πάθος.*  
V. Quintus. Spes lati exitus, iuxta illud: Durate & vosinet rebus  
seruate secundis. Sed sæpissime humano iudicio nullæ spes cernun-  
tur, vt in morte Socratis, & in plurimis Ethnicorum calamitatibus.  
VI. Sextus. Causæ finales, vt, militi facilius est mors profutura  
patriæ. VII. Septimus. Collatio euentuum, vt, Melius est ægro-  
tare, quam accedere ad conuiuium, & incidere in tumultum. Aeschio-  
pes ait, se lætari, liberatum se ab Attica Republica, tanquam à ræ-  
biofa cane, & ait, se habere officiosum hospitem in exilio. Socrates  
C c 4 dicit.



dicit, se eo mortem facilius ferre, quia si anima sit immortalis, optare se colloquia sapientum uirorum, Palamedis, Nestoris, & aliorum, à quibus discat deinceps ea quæ ignoret, &c. Hic loci Philosophi cum ex legis doctrina magna ex parte sumpti sint, etiam sunt Theologici. Sed accedunt ex Euangelio alij tres, qui continentur magis efficaciorum consolationem.

S I N T I G I T U R L O C I T H E O -  
logici decem.

**i.** Primus, Necessitas, id est, mandatum Dei, quod precipue spectamus animos ad obedientiam in tolerandis aduersis, nec irascimur Deo, iuxta dictum: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item Subditus esto Deo, & spera in eum, &c. I n omni consolatione autem sic tantum minuitur dolor, cum obiectum bonum intuemur, ut cum Dauid scit, Deo obedientiam in exilio placere, & penam non esse signum reiectionis, sed commonefactionem de penitentia. Hæc bona uoluntate Dei considerata fert pœnas minore dolore. Sic luctu conuersus ad Deum leuius fert pœnam, scit ordinationi diuine obediendum esse, & hanc mortem non esse signum reiectionis.

**ii.** Secundus, Dignitas uirtutis, id est, Saul non recte facit, quod sibi mortem consciscit propter infelicem pugnam. **iii.** Tertius, Bona conscientia, ut Laurentio sit leuis cruciatus propter optimam conscientiam. **iiii.** Quia uero sæpissime mala conscientia dolores auget, ostenditur in Euangelio quartus locus, proflus ignotus Philosophiæ, scilicet: Remissio peccatorum. Dauid non frangitur ingentibus calamitatibus, etiam si habet tristissima uulnera conscientia, sed iam tenet remedia, scit dictum esse: Dominus absterget peccatum tuum. Hæc consolatio propria est Ecclesiæ prolata ex sinu aeterni Patris in uoce Euangelij, & nequaquam Philosophiæ nota est.

**v.** Quintus locus, qui etiam Euangelicus est, uidelicet, Agnitio præsentia Dei in ærumnis accepta remissione, ut dicitur: Deus habitet in afflictis. Leuatur ergo dolor, cum scimus nos à Deo iuari, & spem habemus mitigationis in hac uita. **vi.** Sextus locus, qui etiam Euangelicus est, uidelicet: Spes ultima liberationis & æternæ salutis, iuxta dictum: Etiam si occidet me, sperabo in eum. Item: Scio quod redemptor meus uiuit, & rursus circumdabor pelle mea, &c.

**vii.** Septimus, Exempla, quæ & propter legem & propter Euangelium proponenda sunt. **LEGAT** est: Cum patienter alij propter peccata, ut Adam, Eua, Dauid, Manasse, & alij plurimi, quorum pœnæ sunt commonefactiones de iusticia Dei: fateamur nos quoque iusticia Dei pœnas debere, iuxta dictum: Tibi Domine iusticia nobis autem confusio faciei nostræ, sicut & hodie uiro Iuda & Hierusalem. Et Elias inquit: Non sum melior patribus meis.